DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

HAEMORRHOIDIBVS MVCOSIS VESICAE VRINARIAE AB INFARCTIBVS ORTIS

QVAM
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO
CAROLO AVGVSTO
DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE. MONTIVM
ANGARIAE ET GVESTPHALIAE LANDGRAVIO
THVRINGIAE REL.
CONSENTIENTE
GRATIOSO MEDICORVM ORDINE
PRO GRADV DOCTORIS
MEDICINAE ET CHIRVRGIAE

A. D. XXV. MARTII MDCCXCV.
PVBLICE DEFENDET
AVCTOR

GEORGIVS ERNESTVS FRIDERICVS
MYSING
OSNABRVGENSIS.

IENAE
LITERIS MAVKIANIS.

ILLVSTRISSIMO ET EXCELLENTISSIMO

D O M I N O

GOTTHELF DIETERICO

AB ENDE

AVGVSTISS. AC POTENT. MAGNAE BRITANNIAE REGI

A CONSILIIS INTIMIS

COLLEGIORVM REGIORVM PER DVC. BREMENS. ET VERDENSEM

PRAESIDI

REGIONIS HADELENSIS

PRAEFECTO SVMMO REL.

NEC NON

PERILLVSTRI ET GENEROSISSIMO

D O M I N O

NICOLAO A DECKEN

AVGVSTISS. AC POTENT. MAGNAE BRI-
TANNIAE REGI

A CONSILIIS REGENDORVM DVCATVVM

BREMENSIS AC VERDENSIS REL.

ATQVE

PERILLVSTRI ET GENEROSISSIMO

D O M I N O

JOANNI GEORGIO
AB VSLAR

AVGVSTISS. AC POTENT. MAGNAE BRI-
TANNIAE REGI

A CONSILIIS REGENDORVM DVCATVVM

BREMENSIS ET VERDENSIS REL.

VIRIS

MVNERVM SPLENDORE STIRPIS NOBILITATE
DOCTRINAE COPIA HVMANITATIS LAVDE
RELIGIONIS ET INTEGRITATIS FIDE
MERITORVMQVE IN PATRIAM EXIMIORVM
VIRTVTE

CONSPICVIS

AC LONGE CELEBERRIMIS

PATRONIS ET MAECENATIBVS

OMNI ANIMI PIETATE ET REVERENTIA
SVMMOPERE COLENDIS

DISSERTATIONEM SVAM INAVGVRALEM

TANQVAM

DEVOTISSIMAE MENTIS TESTIMONIVM

D. D. D.

OBSERVANTISSIMVS CLIENS

GEORGIVS ERNESTVS FRIEDERICVS MYSING

PROOEMIVM.

Cum tanta ſit eorum, quae a variis iisque praeclariſſimis ſcriptoribus medicis hucusque prolata ſunt, copia; vix aliquis mirabitur, qui fiat, vt juveni, qui in exponenda quadam materia neque novitatis ſpeciem prae ſe ferre neque ter jam trita repetere velit, tam difficilis ſit rerum delectus, priusquam thema quoddam inveniat, quod, etſi viribus ex parte adcommodatum, ſeverioribus tamen cenſoribus haud indignum videatur. Id quod et mihi, cum ex inſtituto Maiorum pro obtinendis in Medicina ſummis honoribus ſpecimen aliquod inaugurale conſcribere deberem, contigiſſe ingenue fateor. Diu enim in eligendo diſſertationis argumento haeſitavi, ne laborem viribus meis imparem ſusciperem. Tandem ex improviſo morbi cujusdam, quem ad rariores referrem,

 tra-

tractandi occasionem nactus eram, in quo, symptomatum inprimis ratione habita, tam varia sese mihi obtulerant, vt totam ejus historiam, si his paginis mandarem, non absonum fore putaverim. Quem casum peculiarem hac praecipue ex caussa adcuratiori expositione dignum habui, cum in hoc sensim curando terra ponderosa salita plurimum valuerit. Quod reliquum est, saluberrimum, quem in aliis quoque morbis observare mihi contigit, hujus insignis remedii effectum sub finem hujus dissertationis paucis exposui. Nova quidem excogitare nolui, quippe quae tironis, vix ac ne vix quidem primis artis Hippocraticae elementis instructi, non esse arbitratus sum. Contra, si piis ac sinceris Cl. Auctorum, inprimis Ill. Hufelandii, optimi Praeceptoris, desideriis, ad vberiorem virium illius medicamenti observationem spectantibus, ex aliqua parte satisfecisse videar, magnopere laetabor.

Vir quidam XXXII annorum, temperamenti melancholico-ſanguinei, primo vitae ſpatio, vti ex pluribus colligi poterat, morbo ſcrophuloſo et ab anno aetatis undecimo epilepſia adfectus, appropinquante tandem pubertate et remediorum inſuper praeſcriptorum vſu continuato reſtituebatur, nervorum tamen ſenſibilitate reſidua. Anno deinde decimo octavo febris tertiana frigida eum corripuit, quae, cum tribus annis elapſis denuo rediret, diſpoſitionem rheumaticam et haemorrhoides mucoſas veſicae vrinariae reliquit, quas tamen nunquam vltra diem decimum quartum, et ſine magno molimine fluxiſſe aegrotus ipſe retulit. Ab anno aetatis vigeſimo quarto ad triceſimum primum vsque, ille rurſus optima ſanitate fruebatur, excepta tamen haud exi-

gua ad visciditatem humorum proclivitate. Poſtea vero praeter alia abdominis molimina crebriores coli dolores et gravitatem plumbeam, quae vero nihili exiſtimaverat, erat perpeſſus. Quibus etiam accedebat ſenſus hebetudinis in capite, qui vero remediis alvum laxantibus adhibitis maxima ex parte jamjam disparuerat. Sic primo die inveniebam aegrotum corporis quidem habitu pleno et robuſto, ex parte vero cachectico et bilioſo, vultu ceterum ſemper triſti, et, vti in melancholicis id obſervari ſolet, ad terram demiſſo. Querebatur ille praecipue de ſenſu graviori, ponderis inſtar, in cavo abdominis incluſo, porro de torminibus ſaepius revertentibus, et imprimis de dolore circa os ſacrum acerbiſſimo, qui vicibus ſubinde mutatis ad hepar vsque atque renes non nunquam tendebat; praeterea dolores praecordiorum momentanei et obſtructio alvi continua illum vrgebant. Quae ſymptomata cuncta, licet interdum imminuta vel penitus remota eſſent, mox tamen revertebantur. Sic primo illum inveni. Frequentior humoris aquoſi ſub lingua colluvies

cum

cum nauſea, dolores capitis interdum vehementiſſimi, oculorum languor et hebetudo, crebrior vertigo, inſignis virium animi, memoriae prae ceteris, debilitas, et pruritus narium ſaepius redivivus aderant, ſalvo tamen ciborum, et in his ſiccorum praecipue, appetitu. Glandulae inguinales et abdomen, inſuper dolorificum, non nihil intumuerunt, praecordiorum vero, quod reſtat, dolores ſaepenumero erant inſtar eorum, qui ab acubus corpori illatis oriuntur. Prius vero quam hujus aegroti curam in me ſuſciperem, duos jam menſes continuas mucus quidem, ab initio albus, dein flavus, per vrethram effluxerat. Eo vero tempore, ex quo abdomen dolere coeperat, crebrior ſupervenit ani pruritus, adeo demum increſcens, vt aeger cauſſam in aſcaridibus ponendam eſſe ſibi perſuadens, vix vllo temporis momento propter cruciatus ſedere poſſet. Nonnullis diebus, poſtquam illum primo videram, praeterlapſis, ſanguinis congeſtiones inſequebantur verſus caput, gravedo, et reſpirandi difficultas, atque ſub tuſſicula ſputum aegrotus reddebat

bat acre, ſalſum, mucoſum, ex faucibus magis quam ex pulmonibus profectum. Porro tormina aderant frequentiora, ſub digeſtionem inprimis vrgentia, cum alvi deiectione, quae modo duram modo fluidam exhibebat materiam, valde inordinata. Alui fluxum tenesmus ſemper ſequebatur, diarrhoea increſcente ſenſim acerbior. Vrina, modò rufa mode aquae ſimilis reddita, ſemper vel erat feſtucans vel ſubſidens. Mucus acris, quem per vrethram quandoque effluxiſſe jam enarravi, effecit tandem, vt aegrotus non ſine dolore mingere poſſet, puſtulis, quae tamen nihil humoris continebant, in externa genitalium ſuperficie ſimul prorumpentibus. Somnus inquietus erat. Pulſum interdiu plenum et tranquillum, circa veſperam vero, vbi ſemper febricula modica calorem et ſitim adferens adparebat, nonnihil irritatum inveni.

Inter febriculam, quae plerumque per ſesquihoram durabat, aegrotus tandem de formicarum ipſius dorſo quaſi inambulantium ſenſatione ſaepius conqueſtus eſt.

Jam

Jam tacitus et anxius modo ſedere, modo repente ſurgere et currere ac recurrere ſolebat. Rebus ſic comparatis, cauſſam imprimis illius materiae mucoſae, quae per vrethram effluebat, indagare meum eſſe putavi: quam cum non in venere, ſed potius in irritamento quodam abdominali, v. c. in infarctibus ibi coacervatis ponendam eſſe invenirem; curam ſic inſtitui, vt primo omnium ciborum crudorum et farinaceorum, et in his praecipue fructuum ſolani tuberoſi crebro factum vſum eaque omnia quibus infarctus aliter augeri ſolent, ſedulo interdicerem. Vt vero ſordes incarceratae mobiliores redderentur, corporis motionem praecepi ac remedia inſuper reſolventia et incidentia v. c. ſalem ammoniacum depuratum, tartarum vitriolatum, tartariſatum et emeticum primo adhibenda curavi. Quibus remediis adhibitis cum ille quidem effectus, quem optabam, non ſequeretur, et atonia, quae jam diu ſummum in corpus obtinuerat imperium, non ceſſaret; praeter alia medicamenta, cicutam, gummi galbanum et ſaponem venetum et leniter roborantia adieci.

Cum

Cum vero ſimul ad ſpasmos vehementes diſpoſitio adeſſet, omnibus ac ſingulis hisce remediis, in quibus ſal ammoniacus maxime excellebat, aliquot grana extracti hyoscyami addidi. Ipſe vero aegrotus, etſi aliquoties ad ſanitatem accedere videretur, ſemper de novo afficiebatur. Ad pruritum ani, qui quovis die increſcere videbatur, quodammodo leniendum, flores ſulphuris cum cremore tartari dedi, et genitalia ſedulo lavari ordinavi.

Inter reſolvendum quoque vſum emeticorum et purgantium, quorum ope ſymptomata per aliquot dies mitigabantur, praeſcripſi. Sub hoc tempore mucus ille, qui per vrethram excernebatur, et acrioris naturae eſſe et copioſior, ſed ſine magno dolore fluere, coepit. Simul acorem, ad cuius generationem corpus aegroti quam maxime erat proclive, remediis abſorbentibus corrigere tentavi, quo facto, omnia ſigna inde exorta mire ceſſabant. Cum vero totum corpus, praeter hanc ſingularem diſpoſitionem morboſam, ſumma adhuc laxi-

tate

tate et atonia laboraret; vix ac ne vix quidem vllus fructus expectari poterat. Tanta enim aderat infarctuum copia, vt particulis acidis hoc modo retentis et magis magisque coacervatis, malum ſenſim in peius verteretur.

Continuato omnium ac ſingulorum reſoluentium vſu, et clysmatum ſimul ex praeſcriptione b. Kämpfii adplicatione, morbus quodammodo decreſcere videbatur. Alvi excretio, etſi nihil alieni vel morbifici exinde reddebatur, juſto tamen tempore ſaepius nunc accidere coepit. Interdum quoque particulae quaedam ſolidiores foecibus admixtae erant, tamen vero his ſolis effectibus omnino contentus non eram. Fore enim, vt, quicquid morboſi in abdomine adhuc lateret, per vrethram eliminari poſſet, vix unquam ſperare licebat, vt taceam de malo ſic radicitus delendo. Rebus poſtea ſubito mutatis inſignis ardor ſupervenit in faucibus, in quibus antea, teſte aegroto ipſo, titillatio tantum adfuerat, ſimilis illi, qui piper pulveriſatum per os ſumptum ſubſequi

ſolet.

ſolet. Quod vero ſymptoma cum indies augeretur, a bile acri latente, vt ſuſpicabar, originem trahebat. Cremore tartari et tartaro emetico bis adhibito, nonnihil quidem minuebatur, ſed plane non diſparebat. Inter haec id, quod per vrethram effluebat, copioſius et acrius adparere coepit, ita, vt aegrotus inter mictum doloribus acerbiſſimis et convulſionibus nonnullis affectus magnum et lamentabilem ſemper ederet clamorem. Dolores in regione renali ſimul increverant, ita quidem, vt durante paroxysmo teſticuli valde retraherentur: quare calculus ibi latere videbatur. Urina mittebatur rubra et ſaturata, ſuperveniente crebriore ſtranguria, in iſchuriam interdum transeunte. Sub hac rerum conditione praeter crebriora balnea tepida, cataplasmata inſuper emollientia et antiſpasmodica vna cum ſimilibus remediis infricandis et potu copioſis praeſcribebantur. Dein contra erectiones penis involuntarias, quae pro irritabilitate vrethrae magnopere aucta ſaepius revertebantur, multis antiſpasmodicis iamiam adhibitis, praeſcripſi vnguentum de althaea

addito extracto hyoscyami, quo facto mox prosperi adparebant effectus.

Hisce variis ſymptomatibus exortis de cauſſa morbi denuo dubius haeſi, omnemque operam dedi, vt partim quaeſtionibus, aegroto ſaepius propoſitis, partim attenta rerum indagatione et obſervatione certior fierem, num venerei aliquid adeſſet, vel non? Cum autem hisce variis tentaminibus adhibitis neque certior, neque doctior factus eſſem, nihil amplius reſtabat, ex quo indicia quaedam deducere potuiſſem, niſi mucus, qui hucusque per vrethram effluxerat. Erat autem ille, vt jam ſupra enarratum fuit, ab initio albus, dein magis flavus, poſtremo viridis, et nihil purulenti, vti in gonorrhoea venerea id eſſe ſolet, illi admixtum adparebat. Contra ille tanta gaudebat tenacitate, vt mucilagini gummi arabici accederet. Dolor topicus cum inflammatione vrethrae effluxum non praeceſſerat, vti in infectione venerea id evenire ſolet. Rogavi aegrotum, vt in mingendo bene obſervaret, num aliquem dolorem aut impedimentum ſub effluxu vrinae perciperet: ſedem quo-

que mali vt ipſe detegerem eo vſus ſum experimento, vt variis in locis vrethram digitis admotis modo levius modo fortius comprimerem. Cum tandem, vti inter omnes conſtat, infectio illa venerea prae ceteris corporis partibus in vrethra procedere, ibique non irritationem ſolam, ſed inflammationem quoque, et muci effluxum, immo interdum ipſam ſuppurationem quae, ſigna gonorrhoeam veneream plerumque conſtituunt, procreare ſoleat; abſentia hujusmodi contagii ſpecifici in hoc ſingulo caſu nullo amplius dubio premi videbatur. Denique ſilentio non praetermittam frequentes oris et partium ſuperiorum convulſiones aliaque ſymptomata nervoſa, quae quamquam graviſſima eſſent, remediis tamen antispasmodicis hactenus adhibitis, in quibus moschum artificialem et aſam foetidam praecipue laudo, maxima ex parte cedebant. Hac autem via ſymptomatica incedens, genuinam morbi cauſſam, quae, veluti materia heterogenea, et effluxum per vrethram et reliqua ſymptomata producebat, non neglexi quidem, mox tamen eam, licet evi-

dem-

dentiſſima eſſet, difficillime curatu et vix vincibilem inveni.

Sic aegrotus, paulatim ſtadio melancholico ſuperveniente, otioſe et ſeparatim jam vivens oculos mox in terra figebat, mox murmurans ſecum colloquebatur. Status, in quo verſabatur, plerumque medium inter ſomnum et vigiliam tenebat, ita, vt ad quaeſita non apte reſponderet, priusquam ex meditatione profunda et ex ſomniis ſuſcitatus eſſet.

Expergefactus demum illico de impedita ſedendi facultate et vehementi ciborum, inprimis fructuum ſolani tuberoſi, quibus olim ſanus ſedulo vſus fuerat, appetitu conquerebatur. Statim accedebant dolores pungentes in renibus, praecordiis et in regione iliaca, cephalalgia vix tolerabilis, ardores faucium vna cum coli doloribus, qui plerumque diu vrgebant. Materia mucoſa, quam ex vrethra excretam eſſe ſaepius enarravi, modo magis diluta, modo ſpiſſior, minori tamen copia et cum aliquo doloris levamine nunc effluebat.

In hoc igitur rerum diſcrimine permulta remedia eaque exquiſitiſſima, ſed ſine vllo fructu, adhibita erant. Effluxus per vrethram, qui quidem per breve tempus ceſſaverat, mox denuo revertebatur. Praeter aliqua ſymptomata, quae adhuc perdurabant, ardor faucium inprimis omnibus remediis obſtabat, quem, aeque ac muci in faucibus ſecretionem, partim ex infarctu, partim ex acrimonia haemorrhoidali ibi depoſita, deducendum eſſe duxi. Tum demum terrae ponderoſae ſolutionem, cujus effectum in pituita primarum viarum vbivis praeſtantiſſimum inveneram, ad quinquaginta guttulas quater quotidie ſumendas praeſcripſi. Cum vero nonnullis diebus praeterlapſis, fructus exinde ſperatus non ſequeretur; ſingulas doſes quinque guttulis quotidie augeri juſſi. Jam nauſea ſuperveniebat periodica, praecordiorum dolores augebantur, alvi autem excretio non mutabatur.

Vrina, quae quoque magis libera ſufficiente quantitate et cum impetu ſaepius revertente mittebatur, ſaturata quidem erat, id vero, quod ſubſidebat, vix conſpicuum eſſe

esse animaduertebam. Vsu remedii modo memorati per octo dies continuato, centum denique guttulae quater quotidie porrigebantur, quam vero dosin nausea, horror, et vertigo mox subsequebantur. Cum vero vomitus non adparuisset, vsus ejus, licet invito aegroto, non intermissus est. Quindecim diebus iterum elapsis, glandulae inguinales, dextro tamen magis, quam sinistro in latere, tumuerunt, accedente insuper dolore, qui manu admota augebatur. Effluxus per vrethram vberior licet et excretio alvi, tenesmo interdum praegravata, ex toto tamen magis libera erat. In vrina parum aderat sedimenti. Dein terra ponderosa denuo ordinabatur, vsu vero hujus remedii per XVIII. dies continuato, subito apparuerunt varia symptomata, nempe anxietas magna, oculi furiosi, inquieta jactatio in cubili, cephalalgia acerbissima cum pulsu celeri et parvo. Quae symptomata decem vomitus insequebantur, sic, vt sub finem insignis copia materiae acris cum bile simul admixta eiiceretur. Quo facto aegrotus paululum requievit. Horis circiter tribus praeterlap-

ſis vomitus revertebantur, quibus poſt ſex dies eadem materia reddebatur. Hoc facile evenire potuit, quia, ſordibus per vim incidentem terrae ponderoſae jamiam reſolutis, quibusdam doſibus guttulae aliquot vini emetici Huxhami additae fuerant. Aliquot dies antea emeticum jam datum fuerat, quo vero nihil eiusmodi materiae per os excretum fuerat. Poſtea vero omnia, quae vomitus ſubmovendi cauſſa porrigebantur, medicamina ſemper egregium exhibuerunt effectum, ita, vt ex ea, quae plerumque excernebatur, materia acida, ſuſpicarer, eam, quae abdomini inhabitare videbatur, incarcerationis et ſpasmorum cauſſam conſtituere vel augere poſſe. Omiſſo tunc per aliquot dies terrae ponderoſae ſolitae vſu, remedia tantum adhibui, quae materiam acidam vel penitus ſupprimere vel corrigere poterant. Illa vero acrimonia in ſanguinem ex parte jam tranſiiſſe videbatur: aegrotus enim jam per tempus aliquod de pruritu in cute conqueſtus erat. Aliquot diebus ſic praetermiſſis, terra ponderoſa denuo, plerumque tamen ſola, vel ad vltimum, quod raro factum eſt,

ali-

aliquot guttulis vini emetici Huxhami et extracto cicutae mixta porigebatur, et ſpes mea, quam de viribus huius remedii conceperam, me non feſellit.

Nunc facile quoque erat intellectu, colorem illum viridem, quo mucus per vrethram effluens praeditus erat, maxima ex parte ab acido dependere, quippe qua ex primis viis ſublata, mucus quoque illico alia forma indutus magis ad colorem ſubflavum accedebat.

Aliquot diebus inter vſum terrae ponderoſae denuo elapſis, vrina magis mutata, non amplius ſaturata et cum ſedimento mucoſo adparebat. Jam quoque excretio alvi ad naturalem magis accedens, ex aliquo remedio laxativo adhibito non ſtatim quidem, ſed nonnullis diebus poſt, liberior facta eſt, foecibus extus nigris adparentibus. Ad vires terrae ponderoſae incidentes magis promovendas purgantia fortiora adhibuiſſem, niſi debilitas aegroti me ab illorum vſu deterruiſſet. Deinde die vigeſimo quarto, a quo illud remedium adhibitum erat, glan-

dulae inguinales valde tumuerunt, ita, vt ruptura immineret: quare ſtatim medicamenta, quae diſcutiendo inſervirent, externe, ſed fruſtra, applicabantur: tumor enim non cedebat. Nunc id, quod in vrina ſubſidere ſolebat, in dies augeri coepit, alvi excretione ſimul mutata, ita, vt fruſtula nigra haud exiguae magnitudinis plures ejicerentur: quare vſum clysmatum denuo ordinabam, vt ea, quae ope terrae ponderoſae reſoluta eſſent, penitus e tubo inteſtinali removerem. Hunc vero finem, ob pertinaciam aegroti, qui hoc aegre ferebat, non ita conſequi poteram, vti in votis habebam. Die vigeſimo ſexto iterum emeticum porrigebatur, cujus vſus ſub finem morbi ſaepius repetebatur, partim ad terrae ponderoſae effectum augendum, partim ad oscillationem vaſorum promouendam, quas crebriores totius corporis commotiones ſic natas ad curam morbi ipſius multum contuliſſe mihi perſuadeo. Ope hujus emetici, vltimi ſcilicet, quod in hoc morbo adhibebatur, inſignis copia ſordium atrabilarium et conglomeratarum evacuabatur. Jam clarum perſpicuum-

cuumque erat, omnem ſalutem ab impedita regeneratione materiae acris expectandam eſſe. Quare cum ructus adparebant, faucibus ſubalbidis vel rubicundis, et expectoratio muci acris augebatur, accedente inſuper coli dolore; illico remedia abſorbentia dabantur. Die vigeſimo octavo et nono ope clysmatum multi infarctus viscidi, quibus plures particulae nigrae admixtae erant, ejiciebantur. Vrina nunc minus ſaturata erat et ſtranguria rarius accedebat: mucus tamen per vrethram continuo, et copioſius, majori tamen levamine, adhuc fluebat. Dolores circa os ſacrum, qui ſimul regiones lumbales et renales occupabant, valde increverant. Inter haec aegrotus hilaris animo eſſe coepit. Appetitu vero ciborum circa hoc tempus magis aucto, impedire non potui, quominus varia vitia diaetetica occurrerent. In primis tum, cum ſordes mobiliores eſſe inciperent, ſymptomata quaedam nervoſa adparebant, quae tamen emeticis ſumtis ſemper cedebant. Die trigeſimo primo denuo vomitorium, et cum inſigni effectu, dabatur: ſimul clysmate adhibito multi infarctus viſcidi, ſubnigri et

 peſſi-

peſſimi odoris per aluum expulſi ſunt. Jam ſuperficies interna tubi inteſtinalis magis libera et vis medicamentorum in vias ſecretorias auctior reddita eſſe videbatur. Spasmo quoque ſenſim ablato, ſudor criticus ſupervenit, quo facto etiam vires animi ſenſim redibant. Vrina reddebatur jumentoſa, ſimilis inter mingendum albumini ovorum in aqua dilutae, ſedimento, quod poſt aliquot horas ſubſequebatur, haud exiguo. Quo frequentior et copioſior baec excretio erat, eo magis dolores in regione renali et lumbali cedebant. Mucus tamen, qui per vrethram quoque excernebatur, colorem viridem ab acido primarum viarum retento, vt putabam, ſubortum nondum amiſerat, quam ob cauſſam vſum abſorbentium de novo praeſcripſi. Viribus nunc magis redeuntibus vomitoria plura dabantur, quorum vnum die triceſimo quinto adhibitum, ſub initium nihil effecturum eſſe videbatur. Tribus enim circiter horis poſt ſumtum remedium elapſis, aegrotùs omnia aequo animo ferre viſus nulla re afficiebatur: hic vero ſtatus, poſt horam vnam cum dimidia elapſam ſubito mutabatur. Super-

pervenerunt ſpasmi vehementiſſimi, coli dolores et deliria; quare antispasmodica remedia non interne ſolum, ſed externe quoque, cataplasmatum abdomini ſuperimponendorum forma, adhibita ſunt, quia ea, quae aderant ſymptomata, magni aliquid portendere videbantur. Quarta dein hora poſt emeticum ſumtum tres vomitus exorti ſunt, quos intumescentia abdominis, anxietas et mox cholera ſequebantur. Per anum ſordes nigrae et pituitoſae vel mucoſae excernebatur. Inter haec laſſitudo, de qua aegrotus conquerebatur, ad vltimum adaucta eſſe videbatur, ſed non diu poſt ſpes priſtinae ſalutis denuo vigebat.

Vrina aliquot dies poſt copioſior fluebat et quidem ſedimentoſa, effluxu tamen mucoſo, qui per vrethram exibat, paulum imminuto. Cum porro ani pruritus nondum cederet, intermiſſo tunc per aliquot dies terrae ponderoſae vſu, flores ſulphuris cum cremore tartari et gummi guajaci ſubſtituebantur. Dein vſus ſalis modo dicti, remediis roborantibus ſimul adhibitis, continuebatur, quo facto ſenſim ſenſimque dolores,

qui

qui regionem ſacralem et epigaſtricam quandoque adfecerant, vna cum ardore faucium et vrethrae minuebantur. Cura ceterum ad quinquageſimum vsque diem ſic continuabatur, vt vſus emeticorum toties repeteretur, quoties ſigna ſordium mobilium adeſſent. Denique medicamentis hucusque adhibitis ſubſtitui, gummi galbanum et extractum taraxaci et chelidonii, quorum vſus praeſtantiſſimos produxit effectus: irritamenti vero, quod vrethram occupabat, ex aliqua parte leniendi cauſſa, injectiones crebriores in vrethram pracepi. Alvo nunc magis libero, et bubones, quos adfuiſſe jam ſupra dixi, magis magisque disparere videbantur. Cum timor ſubeſſet, vias vrinarias ab irritatione et congeſtionibus continuis nimis affici; toni tandem harum partium nonnihil reſtiturus ea, quae leniter roborant, remedia, externe applicanda curavi, id quod antea ſuppreſſionis illius effluxus evitandae cauſſa fieri non potuit. Clysmatibus ſimiliter adhibitis, pruritus quoque ani penitus ceſſavit. Sedimentum in vrina jam fere nullum erat. Sic aegrotus evacuatione materiae morbificae

per

per LVIII. dies continuata, die fexagefimo fecundo priftinam recuperavit fanitatem.

Quanta vis medicatrix terrae ponderofae falitae, tempore jufto adhibitae, inhabitet, ex hoc, quem modo enarravi cafu, fatis jam apparet. Hoc enim remedium primum in omnibus iis, quae refolvendo et incidendo inferviunt, locum obtinere, et vbi languor functionum adeft, inprimis multum valere, negari nequit. Supponi quidem poteft, vomitoria ad hunc morbum curandum permultum contuliffe, fed evacuantia tamen, nifi praemiffis refolventibus adhibita fuerint, vim fuam vix exferunt. Clysmata etiam non fine fructu quidem, fed hoc tantum refpectu, adhiberi poterant, vt fordes jam mobiles removerentur. Quod reliquum eft, infignem horum effectum in obftructionibus vifcerum. v. c. hepatis et lienis, pluries obfervavi. Hoc tamen adhuc eorum vfus poftulat, vt emetica, quantum fieri poteft, fimul adhibeantur. Inprimis tamen terrae ponderofae ufum extracto chelidonii junctum et exigua quantitate ad aliquot grana modo ad-

adhibitum praeſtantiſſimum inveni, doſis vero auctior ſtomachum nimis afficiens nauſeam excitat. Vbi nubeculae tenebroſae oculis obverſantur, ſignum ſyſtematis nervoſi nimis affecti eſt: ſuccum enim chelidonii maiori doſi datum nauſea jam ſequitur. Continuato vero vſu oculi demum rubent, ſuperveniente vertigine. Pupillam ex hujus remedii vſu dilatatam inveni: qui effectus, pro ſpecifica vnius cujusque ſenſibilitate, modo debiliores modo fortiores nascuntur. Ex hoc morbo tam complicato ſatis convictus ſum, permulta ſymptomata, eaque ſpecifica, ab infarctibus ſolis proficisci. Talia ſunt: 1) Fluxus haemorrhoidum, qui in hoc caſu ab infarctibus petendus erat, qui in aliis caſibus diuerſis omnino cauſſis, e. g. vermibus, metaſtaſi etc. adſcribi potuiſſet. Debilitas enim, quae alias propter materiam viridem per vrethram effluentem et ſigna erectionis et ſtranguriae hanc concomitantia, haud difficile cauſſae venereae adſcribi potuiſſet, in hoc caſu ab acrimonia tantum nimis coacervata profecta eſſe videbatur. 2) Pruritus aut titillatio faucium, qui poſtea in

ardo-

ardorem transibat, mere ab infarctibus fixis, fauces adficientibus, et secretioni harum partium jam perversae tribuendus erat.

Quare etiam succus gastricus tam pravam qualitatem assumserat, et, cum stomachus hac ratione continuo irritaretur, appetitus ciborum inde augebatur. Porro sputorum copiosus affluxus, qui alias magis symptoma vermium et mali hysterici esse solet, hic spasmo solo adscribendus erat, qui nervis abdominis hac ratione irritatis et a congestione versus glandulas salivales aucta proficiscebatur. Materia etiam acris supponi poterat, quae ex sanguine nata ibi secernebatur, praecipue ob insignem acris materiae quantitatem.

In omnibus igitur casibus, huic similibus, ad acrimoniam corrigendam praecipue respiciamus necesse est. Incarcerationem enim ex hac caua solsa ali posse, quis est, qui neget? — Porro in conspicuo erat, formicationem illam, quae dorsum praecipue vrgebat, ab infarctibus profectam fuisse, quippe quibus nimis extensis nervus intercostalis tunc comprimebatur. Sic quoque explicari poterant sputa salsa cum tussicula crebriori, quae omnia ab acrimonia quadam in stomacho et faucibus deposita petenda erant.

Ingenue profiteri me oportet, haec symptomata quodammodo suspecta fuisse. Inprimis phthiseos incipientis timor aderat, qui,

qui, cum ad habitum aegroti reſpicerem, magis adhuc increscebat. Huc accedebat, quod plerumque ſub vesperam febricula adveniret, pulſu quidem irritato. Ex hac, quam retuli, morbi hiſtoria ſatis apparet, permulta et valde diverſa ſymptomata et haemorrhoides veſicae vrinariae adeo ab infarctibus ſolis proficisci poſſe, et terram ponderoſam ſalitam in pluribus caſibus magis valere, quam vulgo creditur.

Alias quidem adhuc obſervationes, quae ſimilem hujus remedii effectum probare poſſent, in medium proferre potuiſſem, niſi temporis anguſtia id prohibuiſſet.

T H E S E S

I. Irritabilitas fibrarum muſcularium maxima ex parte a nervis dependet.

II. Hilaritatem animi nimiam et inſolitam ſaepe ab irritamento bilioſo originem trahere equidem mihi perſuadeo.

III. Vomitoria tempore matutino data maiorém vim exſerunt, quam illa, quae veſpertino tempore porriguntur.

IV. Diſſectionem foetus in vtero ſectioni caeſareae in longe plurimis caſibus poſtponendam eſſe cenſeo.

V. Libri medici in vſum popularem ſcripti plus damni quam vtilitatis afferunt.

VI. Debilitas vſum emeticorum nunquam contraindicat, ſed plerumque potius ſuadet.

VII. Quies meridiana poſt paſtum ſalutaris mihi eſſe videtur.

VIII. Syſtematis abſorbentis accurata cognitio magis neceſſaria eſt Medico practico, quam cognitio ſyſtematis arterioſi et venoſi ſubtilior.